

CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM

CALATANISIADENSIS

BEATIFICATIONIS et CANONIZATIONIS

SERVI DEI

IOANNIS JACONO

ARCHIEPISCOPI TIT. MOCISSENSIS

OLIM EPISCOPI CALATANISIADENSIS

(1883-1957)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Ait Iesus misericordiam non solum esse Patris actionem sed esse mensuram ad dignoscendos veros filios suos» (Franciscus, *Misericordiae Vultus*, n.9).

Secundum hanc Summi Pontificis Francisci mentem in bulla Extraordinarium Iubilaeum Misericordiae indicenti, Servi Dei Ioannis Jacono spiritualem descriptionem humanamque historiam feliciter intelligitur, qui fuit bonus ac navus pastor, promptus

receptor omnium necnon perinde ac Patris indulgens ac caritativus vir.

Servus Dei Ragusae diae 14 mensis Martii anno 1873 divitiis inopi e familia fide autem divite natus est. Iam a pueritia prima signa vocationis ad sacerdotium percepit, sed quamvis hoc admodum desideravisset extemplo, suae inopiae causa, seminarum ingredi nequit. Scholam ergo frequentavit et studia sua summis cum difficultatibus perfecit, enim eodem tempore operam suam dabat uti operarius, Servus Dei ergo petivit ab Archiepiscopo Catanensi scilicet Cardinale Iosephum Francica Nava ut se reciperetur in seminario. Cardinalis autem annuit et ei commisit officium custodis nocturne; deinde expletis studiis, die 21 mensis Septembris anno 1902 apud fanum Sancti Ioannis de Nemore sacro ordine auctus est.

Postea Romam missus est ut studia sua perpoliret. Apud Seminarium Apollinarens in studiis fuit cum alumno Angelo Iosepho Roncalli, qui erit Pontifex necnon Sanctus, ibique pietate sua, bonitate, humilitate et caritate omnino eminuit. Post illam Romanam commorationem Catinam redit et nominatus est canonicus paenitentiarius ecclesiae cathedralis, spiritualis moderator et postea etiam rector seminarii. Eius confessionalis sedes semper admodum celebris erat praecipue a sacerdotibus, qui ad eum accedebant ut spirituale moderamen ac confessionem haberent.

Anno 1918 Summus Pontifex Benedictus XV eum episcopum Menphictensem-Iuvenacensem-Terlitiensem nominavit dieque 8 mensis Septembris anno 1918 Catinae episcopalem ordinationem accepit, in cathedrale quae fere omnino deserta evasit ob contagionem illius morbi dicti Hispanici olim ingruentis. Melphictae tres per annos commoratus est evadens apostolus caritatis inter

pauperes, ductor sacerdotibus inter difficultates et maestitias, quae bellum post se generavit una cum fame et defectu laboris ex quibus magna pars civitatis emigrare maluit.

Anno 1921 ei commissa est nova sedis scilicet dioecesis Calathanisiadensis, ubi rursus sua humilitate, paupertate et hospitalitate erga omnes fideles, cuiusvis generis essent, eminuit. Anno 1953 Summus Pontifex Pius XII ei episcopum coadiutorem dedit. Die 21 mensis Augusti anno 1956 idem Pontifex, accepta Servi Dei muneris abdicatione, eundem nominavit Archiepiscopum tit. Mocissensem. Relicta dioecese Calathanisiadensi, natale ad oppidum redit ibique simplicem vitam degit, cotidie ad ecclesiam petens ut sanctam Missam celebraret et Eucharistiam rite adoraret.

Servi Dei fuit summa cura continua ac diligentissima sacerdotum ac laicorum institutio. Suam gessit missionem historicis in adiunctis admodum difficilibus enim cognovit primordia et instaurationem Fascismi, secundum bellum mundanum et denique communistarum doctrinarum propagationem. Eius praecipua sollicitudo fuit sacerdotis dignitatem servare ab omni vinculo tam politico quam oeconomico. Eius nava actio oratione semper suffulta est maxime ab Eucharistia et a crebrissimo cultu erga Virginem Mariam. Amor in Ecclesiam quoque connotavit eius vitam boni ac humilis pastoris, Pontifici semper oboediens. Dei minister fuit sapiens ac prudens.

Eius spirituale iter in cotidiano exercitio virtutum agebatur, uti iam ab eius prima vocatione contigerat. Sanctus Ioannes XXIII, cum dono librum de Servi Dei vita haberet, dixit: «His paginis deest mens summi momenti, scilicet quod Pontifex, cum simplex erat Iosephus Roncalli, eius socio Ioanni adspiciebat et corde suo dicebat: "Domine fac ut bonus sim uti Ioannes Jacono"». Amor

erga Deum et Ecclesiam et quidem erga omnem hominem fuit triplex prospectus in quo spirituale iter, pastorale ministerium et integra caritatis existentia Servi Dei agitabatur. Omnes qui eum cognoverant eum uti *Episcopum caritatis* recordati sunt.

Servus Dei suam mortalem diem Ragusae die 25 mensis Maii anno 1957 perfecit.

Fama sanctitatis a die 13 mensis Ianuarii anno 2008 ad diem 27 mensis Septembris anno 2012 iuxta Curiam ecclesiasticam Calatanisiadensem Inquisitio Dioecesana celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per decretum diei 11 mensis Aprilis anno 2014 est approbata. Exarata *Positione*, consuetas secundum normas disceptatum est an Servus Dei virtutes heroicum in gradum exercuisset. Fausto cum exitu, die 19 mensis Aprilis anno 2018 Peculiaris Consultorum Theologorum Congressus habitus est. Patres Cardinales et Episcopi Ordinaria Sessione diei 25 mensis Septembris anno 2018 congregati, cui egomet ipse Angelus Cardinalis Becciu praefui, Servum Dei heroicum in gradum virtutes theologales, cardinales iisque adnexas exercuisse professi sunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Ioannis Jacono Archiepiscopi tit. Mocissensis olim Episcopi Calatanisiadensis, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 7 mensis Novembris a.D. 2018.



ANGELUS Card. BECCIU

Praefectus



* MARCELLUS BARTOLUCCI

Archiep. tit. Mevaniensis

a Secretis